



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epitome Tribvnalis Sacramentalis Reverendissimi Patris  
Petri Marchantii**

**Zurmöllen, Heinrich**

**Neuhusii, 1677**

Art. 1. De materia forma & officijs Diaconatus

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9734**

versa signa aut orationes Sacerdotes im-  
miscent, reliqua peccata habent cum Cle-  
ricis & alijs communia de quibus suis locis  
dicemus.

## TITVLVS NONVS. *De Diaconis illorum obligatio- ne & peccatis.*

### Articulus Primus.

*De materia forma & officijs Diaconatus.*

1. **D**Uplex in Pontificali exprimitur  
signum, quo Episcopus uti solet  
in ordinatione Diaconi: prius est, quod fit  
impositione dexteræ manus super Caput  
Ordinandi, cum hac verborum forma: ac-  
cipe Spiritum S. & robur ad resistendum  
Diabolo ac temptationibus ejus in nomine  
Domini: posterius est: traditio libri Evan-  
geliorum, cum hac verborum forma: ac-  
cipe potestatem legendi Evangelium in  
Ecclesia Dei , tam pro vivis quam pro de-  
functis, in nomine Domini: Amen.

2. Utraque vero hæc actio tam impo-  
sitionis manus quam traditionis libri Evā-

6137

CH

gelio-

geliorum, pertinet ad materiam essentialem & adæquatam Ordinationis Diaconi, et si traditio libri Evangeliorum non fuerit semper in isto individuo & singulari signo expressa, Christus enim in institutione Sacramenti Ordinis, materiam illius ita instituit, ut eam in singulari non determinaverit, relinquens determinationem Ecclesiæ suæ, quæ successivis temporibus illam magis determinavit, ut nimirum per impositionem manuum conferatur gratia ad sacra Ministeria: per traditionem vero libri Evangeliorum, gratia ad legendum ac explicandum, imo de mandato Sacerdotis prædicandum Evangelium.

3. Officia Diaconi sunt sequentia. 1. Sacerdoti celebranti singularibus ministerijs assistere. 2. Evangelium in missa legere il ludq; ex commissione Sacerdotis populo annuntiare. 3. Sanguinis poculum credentibus distribuere cum in primitiva Ecclesia sub utraque specie fideles communica- bant. 4. Baptizare: quod tamen ita com- petit Diacono, ut non nisi ex commissione Pastoris aut Sacerdotis, etiam casu urgen-

H 6 te,

te, possit absque peccato mortali solemniter Baptizare. 5. Cathechumenos instruere in fidei rudimentis. 6. Temporalibus Ecclesiarum bonis ac Eleemosynarum distributionibus invigilare. 7. Populum in Sacris cætibus certis signis ad Deum movere. 8. Invigilare infirmis & peregrinis.

## *Articulus Secundus.*

### *De peccatis Diaconorum.*

**O**bligationes Diaconorum desumuntur ex 1.ad Timoth. 3. & sunt sequentes: obligantur ad castitatem, sobrietatem, scientiam mysteriorum fidei, puritatem conscientiæ in Ministerio, bonam famam, fidelitatem, & integritatem ab omni avaritiæ studio ex quibus deducuntur sequentia peccata.

1. Peccat qui Bigamus est & se in Diaconum Ordinari permittit, ante Dispensationem mortaliter & irregularitatem novam ex delicto incurrit.

2. Omne peccatum mortale, cogitatione verbo, & opere à Diacono post Ordinationem commissum contra castita-

tcn